

SPECIMEN ACADEMICUM  
DE  
GANGRÆNA NOSOCOMIALI,

QUOD

CONSENT. EXPERIENTISS. FACULT. MEDIC. ABOËNS.

PUBLICÆ MODESTE SUBJICIUNT CENSURÆ

*MATTHIAS KALM,*

*Phil. & Med. Doctor, Imper. Coll. Med. Fenn. Membrum,  
ejusdemque Coll. Cancellista E. O.,*

ET

*HENRICUS WIDENIUS,*

*Stipendiarius Publicus,*

*Borea-Fennones.*

In Auditorio Medico die XXX Maji MDCCCXVIII.

h. a. m. s.

---

— — — — tabida membris,  
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit  
— — — lues & letifer annus.  
Lingebant dulces animas, aut ægra trahebant  
Corpora.

VIRGILIUS.

---

ABOË, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL,

Imper. Acad. Typographi.

CARRELL  
CONDORSE

ET

JOH. A. CAPUTO  
FORGEM,

EXIMIIS SUIS IN ARTE SALUTARI DOCTORIBUS,  
FAUTORIBUS PROPENSISSIMIS,

LEVISSIMUM HOCCE PIETATIS NUMQUAM  
INTERMORITURÆ MONUMENTUM  
VENERABUNDA ET GRATISSIMA PONIT MENTE

DISCIPULUS DEVOTISSIMUS  
MATTHIAS KALM.



*Verum est, ad ipsam curandi rationem nihil  
plus conferre, quam experientiam.*

CELSUS.

**Q**uemadmodum Princeps optimus quisque, cui summa imperii salutisque publica est commissa, quique Pater patriæ merito salutari optat, omni studio, virtute & auctoritate ad id incumbat, ut totum reipublicæ corpus paterna regens prudentia & circumspectione, salvum conservet & incolume, in primis vero ab imminentibus hostium insidiis & quibusvis gravioribus periculis fortiter defendat vulneraque ei forsâ inflicta diligenter & provide curet, ne exsangue & languidum corruat atque præsentissimæ occumbat morti a): ita etiam verus quivis & genuinus ÆSCULAPII filius, cujus regimini ac moderamini caducum & infirmum curandum sanandumque traditur humanum corpus, id curæ cordique habeat, ut quoscumque hostiles impetus præcavendo, salutem quam poterit celerrime restituat atque, ubi cum gravioribus & vehementioribus morbis fuerit luctandum, ad diros istos hostes propulsandos ac pro-

A

ster-

---

a) Exstinguere hostem, maxima est virtus ducis:

Servare cives major est patriæ patri.

sternendos omnes intendat vires. Nec cuiquam annales & monumenta perlustranti Medicinæ est infitiandum, improbum eundemque salutem generis humani utilissimum omni fere ævo fuisse Medicorum laborem: quin potius læte agnoscendum, felicem eam Arti Machaoniæ æque ac reliquis artibus & scientiis fuisse sortem, ut tenuibus licet orta initiis superatque difficilia passa impedimenta, nullo tamen non sensim aucta sit incremento maximisque & præne immortalibus virorum excellenti ingenii magnitudine præclaræque eruditione ornatorum meritis atque singulari Principum ac Magnatum ceterorumque Philanthroporum iussulta favore & præsidio, in summum illud perfectionis jam evecta sit fastigium, ut vel gravissimis morbis, quos inter contagiosos illos merito numeraveris *b*), facillima eademque tutissima invenerit remedia. Sic, ut præsentibus atque vivis utar exemplis, horribiles ac nefandos morbos miserorum mortalium innumeras strages edentes, Syphilitidem loquor feliciter curatam, varicellas contagiosas graviter infractas, ipsamque pestem, quo malo nihil dirius Pandoræ condidit pyxis, provide repressam, laudatissimis in primis recentiorum artis salutaris Magistrorum inventis prudentissimisque Imperantium consiliis esse adscribendas, quis est qui non videat? Neque tamen negari potest, ut morbis in universum ita contagiosis speciatim id accidisse plane singulare, ut plurimi iidemque probatissimi Auctores multam & fatigari neciam in alios observandos ac describendos contulerint operam *c*), alios autem sibi ipsis relictos atque

---

*b*) Alios ut tacens Auctores, qui huic adstipulantur sententiæ, Cel. juvat citare BACH, librum, qui inscribitur: *Grundzüge zu einer Pathologie der ansteckenden Krankheiten*, Halle und Berlin 1810, his exordientem verbis: "Die ansteckenden Krankheiten sind das räthselhafteste Feld der Pathologie", quæ etiam therapeutice valere, in aprico posita res est.

*c*) Sic quam plurima ad duo usque millia de Syphilitide jam ante finem sæculi proxime præterlapsi in publicum prodierunt volumina,



que perpetua fere oblivione obrutos non nisi leviter & obiter quasi attigerint perpauca: quibus igitur tam dignoscendis quam curandis, ut Senecæ utar verbis, *multum adhuc restat operis multumque restabit: nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adjiciendi.* Quare Specimen chirurgici argumenti edituro mihi Academicum, morbus ille pernicialis, quem Gangrænam vocant Nosocomialem *d)*, materies visa est dignissima, in cujus natura sanandique methodo diligentius examinanda & perferutanda casuque afferendo illustranda juveniles meas periclitarer vires; perparum enim est descriptus hic morbus *e)*, eo vero magis reformidandus quique omnem

A 2

Me-

testatur Col. A. F. HECKER in præfatione libri: *Deutliche Anweisung die venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln.* — Immensam scriptorum variolas tutorias tractantium molem quis est qui ignoret?

- d)* Sunt forsitan, qui mirentur, me Gangrænam Nosocomialem, utpote aliis ægritudinibus semper succedentem vel semet adjungentem, nec umquam per se ipsam constantem specialis morbi formæ insignitam velle nomine: non solum autem topici mali, verum etiam totius organismi per sympathiam ægrotantis habita ratione, hanc anomalam æque ac quemque alium corporis a normali abhorrentem statum morbum appellatum volo. Cite *Observationes circa Gangrænam* Præf. Col. JAC. ÅKERMAN, Auct. Adolph. Eriksson, Upsaliæ 1817 pagg 3-5. Præterea a te forsitan non erit alienum h. l. observasse, malum nostrum in proptie sic dictorum contagiosorum morborum quamvis non sit referendum numerum, ob suam tamen propriam, quo totum citissime iniciatur Nosocomium, miasma, æque ac v. c. *Typhum* quodam respectu in grege eorum, qui contagiosa gaudent indole, esse adnumerandum.
- e)* Antiquissimis jam morbum nostrum, quo propagetur quamvis modo ignotum, grassatum fuisse temporibus, res ipsa loquitur; illum autem non nisi post Nosocomia diligentius exstructa Medicorum excitasse animadversionem veri videtur simillimum. Propriam vero ut Gangrænæ speciem ipsum nuper delineatum sequenti præcipue Virorum de arte Apollinari optime meritorum exhibent opera;

Medicorum animi attentionem in se vertat dignus, quo audacior, violentior serpenteque astutior in Dolocomia miseris per-  
fugium ac solatium præbentia semet insinuare solet impune fere  
grasfaturus f). Equidem video, innocuo huicce conamini,  
quo in adamatam artem fert animus memet præbere gratis-  
simum, exsequendo difficultates obflare vix superandas; quare  
Te L. B. oro & obtestor, quicquid deprehenderis vitiosi, ado-  
lescentiæ meæ ignoscas.

Dum vero adhuc in limine versor & antequam rem tra-  
ctandam propius adgredior, pauca de Gangræna generaliter  
spe-

*Disertation & Observations sur la Gangrene des Hopitaux; avec  
les moyens de la prevenir et de la combattre; par ANDRÉ DUS-  
SAUSSOY, &c à Geneve 1788, 8:0. — Vid. RICHTERS Chirurgi-  
sche Bibliothek Vol. XI. pagg. 189-206, ubi illius inserta est  
epitome. Essai sur la gangrène humide des hôpitaux, Paris  
1796. 8. ubi laudatum libellum a Cell. MOREAU & BURDIN re-  
cognitum deprehendes & politius limatum. Vid. K. SPRENGELS  
kritische Uebersicht des Zustandes der Arzneykunde in dem letz-  
ten Jahrzehend, Halle 1801 p. 313. Bemerkungen über den  
Hospitalbrand, von JOSEPH und KARL WENZEL, der Arzneyge-  
lehrtheit Doctoren. Quibus observationibus Cel. HUFELAND me-  
ritum adsignavit locum in locupletissimo scriptorum recentioris  
ævi medicam artem spectantium gazophylacio; *Journal der  
practischen Arzneykunde und Wundarzneykunst* Vol. VIII, Sect.  
IV. pagg. 144-192. His appendicis loco accedunt; *Herrn  
Profesor BRÜNNINGHAUSEN's Beobachtungen über den Hospital-  
brand, nebst neuen Anstalten zur Reinigung der Luft in Hospi-  
tälern.* Vid. laudat. oper. Vol. X. Sect. I. pagg. 88-96. —  
FR. HÜNEMANN i. de *Sphacelo Nosocomiali* Wirceb. 1807. 8.*

f) Cum vero nullum in rerum universitate existat malum, quod non  
simul quibusdam gaudeat commodis, morbum quoque nostrum  
quantumvis exitialem, interdum tamen licet raro esse salutarem,  
non possumus non contendere. Cfr. Cell. WENZEL l. nuper c.  
p. 159.

spectata primum mihi videntur dicenda, quo sic quidem natura & indoles specialis illius nosocomialis melius perspiciatur.

Est igitur Gangræna topica in organismo incipiens ut ita dicam mortificatio seu ea abnormitas vitalis, ubi pars organica omni fere vitæ nota, sensu, motu, calore animali coloreque naturali destituitur, adeoque putrida & fœtidissima corruptione quadantenus cadaverum instat, pyrexia plus minusve vehementi simpl præsentente, dissolvitur g). Variæ dirisissimi mali prædisponentes sunt causæ, quibus enumerandis heic non est locus: *occasionales* quæque constituit vis, cujus efficacia inflammationis prægressæ h) aut resolutionem aut suppurationis ope propulsationem impedire valet, qualis est diuturna quævis ac nimia irritatio, compressio, mechanica dissolutio, aër insalubris c. c.: *proxima* vero in partis adfectæ, pro plus minusve læsis ac sufflaminatis arterioli & nervosi systeratis functionibus imminuta vel penitus fere sublata, est ponenda vitalitate: in

---

g) Cfr. GVILHELMII FABRICII HILDANI *de Gangræna & Sphacelo tractat. methodic.* p. 770 & seqq. nec non GERARDI V. SWIETEN *Commentaria in BOERHAVII Aphorismos* T. I. p. 734 & seqq. ubi antiquorum inde ab Hippocratis temporibus de hujus morbi natura &c. fideliter recensetur doctrina: inter Recentiores vero RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneykunst* I B. III Kap. Ut vero plenior rei nostræ affulgeat lux, h. l. observandum mihi videtur, Gangrænam, quam mortificationem potius dixeris, summum atoniæ, inflammationem insequentis esse gradum. Perfecta vero illa est aut imperfecta. In hac quæ gangræna proprie appellatur, vires vitales suam adhuc quodammodo exerunt vim: in illa Sphaceli nomine insignita nulla observantur vitæ indicia.

h) Huic vero nunc cito nunc lente succedit malum nostrum. "Omnium autem citissime gangræna nascitur a frigore, si satis magno calori succedat." v. SWIETEN l. c. p. 740. Observandum tamen est, illam sine prævia inflammatione interdum quoque oriri Cfr. *Föreläsningar i Djurkemien* af BERZELIUS Vol. I, p. 198.



in humorum, in primis sanguinis, ob impeditum circuitum indeque pendentem valorum distentorum disruptionem, stagnationum corruptione & putrefactione, aut in abolito fluidi nervi libero fluxu minime quaerenda i). Variat quoque pro potentiarum nocentium, organi adfecti totiusque individui c. c. diversitate ipsius decursus, prognosis & cura. De Gangraena autem in univcrsum sic considerata valet, eam sedem stabilem & domicilium certum non habere nec nisi sufficientibus causis praegressis & absque omni contagio hunc vel illum sporadice invadere hominem, non vero furtim inopinatove crudelissimi instar tyranni prorucrc, quicquid obvium sit devallaturi,

§. I.

Longe vero alia Gangraenae Nosocomialis, in quam jam accuratius inquirendum, est ratio. In Nosocomiis enim, ubi quam plurimi numerosa morborum de cetero obruti cohorte simul curantur homines, proprie dominatur & semel ubi apparuerit, altissimis permanet defixa radicibus omnique diritate & immanitate grasclatur teterrima. Variis quidem potentiis nocentibus, aequae ac Gangraena in univcrsum, suam debet originem: quamquam praecipue ejus & furiosa violentia miasmate quodam proprio alitur, lovetur & invalescit. Nulli parcat aetati, nulli sexui, nulli speciali corporis constitutioni k), nulli malo

i) Nulla vero quaestio unquam salutaris artis Profcssores magis exercuit quam haec. Notio autem antiquorum hujus rei minus recta, qua corruptos humores ut causas morborum nobis venditarunt, saniori theoriae hodiernae, qua omnium morborum, immo ipsius quoque mortis fons e structura partium solidarum immutata derivatur, cedere tandem est coacta. Cfr. Dussaussox l. c. p. 192 & BERZELIUS l. c. §. 15.

k) Hoc tamen monendum mihi videtur, specialem subjecti constitutionem ad miasma gangraenosum facile recipiendum aut lente admit- tendum incredibiliter conferre.



malo externo, vulneribus haud minus quam ulceribus infestissima: quæ quidem simplicissima, levislima atque ab omni periculi metu, ut videtur, profus aliena, æque ac maxime spatiola & complicata, recentia æque ac coëuntia & cicatricem jam ducentia, profunda & non profunda, in quibuscumque corporis partibus, in primis vero in crure, ubi pleraque hujus generis invenies mala, nefanda adgreditur laes, funestissimam intentans mortem. Non tamen negandum, quod in ipsius rei optime convenit indolem, quæ majori gaudeant superficie, ut vulnera amputationibus aliisque gravioribus calamitatibus corpori illata, dilacerata, contusa & quæ deperditione substantiæ sint conspicua, quæque diathesi Scorbuticæ suam debent originem, huicce Gangræne præcipue esse obnoxia l). Generi autem humano, quod tanto morborum premitur numero, ut quisque Artis Machaonicæ Antistes, omnes noscere ne dicam curare cupiens, cum Patre HIPPOCRATE queribunda exclamet voce: *Artem longam, vitam autem brevem esse*, est gratulandum, quod non nisi in certa & definita lugubre malum incidere plerumque solet anni tempora. Sic fida & diuturna Medicorum primi ordinis compertum habemus experientia, illud vere præcipue atque autumnu ingruere, ceteris anni tempestatibus rarius obvium m). Prodrroma vero, quæ imminentis mali periculum indicant, symptomata variæ sunt organismi functionum a statu normali aberrationes. Nullis, quæ minitantes arguant morbum, apparentibus veitigiis, ex improvise plane ægroti tristitia adficiuntur & anxietate, summam sentientes virium prostrationem, acutiores in toto organismo dolores, calorem qualis febriculæ est adauctum, vehementem vomendi cupidinem, cephalalgiam, sitim

l) Cfr. DUSSAUSSOR l. c. p. 191.

m) Ad experientiam summorum Medicorum (Cfr. WENZEL l. c. p. 145) minus accommodatè DUSSAUSSOR morbum nostrum æstivis præcipue assignat mensibus. Vid. ipsum l & p. nuper c.

stim ardentiorē, anorexiam quin & aliarum rerum vel adamataram fallidum & satietatem ceteraque vulgaria functionum iusto magis læsarum phænomena. His accedunt facies rubens, cutis arida, lingua sordibus obducta, fulurus aurium, animus in somno inquietus vel prorsus aglypnia cruciatus, pulsus parvi, duri, inæquales, celerrimi. — Malum quoque locale, sive vulnus sit sive ulcus, mirum quantum ab initio infectionis morbosam subit immutationem. Superficies enim gangrænæ nostræ contagio affecta, mox, diverso licet in diversis subjectis modo (in his scilicet dolorem, ruborem tumoremque intentiorem deprehendes, in illis leviozem), irritatur granulationisque mortificatione descædatur. Amplius ingravescentibus doloribus occupat spatium, quin & in ipso coalescendi cesat negotio: intumescunt ipsius labia, concalescunt, infuscantur: tenacissima eademque flava, vitello ovi coquendo aliquantulum inspissato haud absimili substantia, tota obducitur superficies, in primis vero fundus, atque optimi loco parvis, sperandæ salutis indicis, tristissima mortis prænuntia, scetidissima & ichorosa large & copiose obtegitur sanie *n*). Ruber vulneris & ulceris huc usque cruenti color in subrubicundum, purpureum, fuscum, viridem, lividum, cineraceum mutatur & nigrum. Fusco, œdemate & emphysemate insignito, adjacens cutis circumdatur orbe, labiis miris modis retortis. Sensibilitas loci adfecti valde augefcit, adeo ut in ulcere nudando, ab ichore aliaque sorde purgando medicaminibusque & fasciis rite muniendo acerbissimis vel fortissimi homines dirumpantur doloribus, quos vehementissimi nervosi systematis haud raro comitantur effectus. Abominando ichori, longe gravissimum jam & omnino pestiferum edenti scetorem, color interdum est fuscus vel ex flavo viridis. Quo quidem corpus in dies magis magisque cum imbuatur, facile est ad videndum, cadaverosam ipsius metamorphosin & crescentem virium jecturam æquis procedere passibus. Acris vero adeo

---

*n*) Cfr. WENZEL I, c. p. 147.

adeo & septica quum illi sit vis, ut cutem, musculos, ligamenta, cartilagine, tendines, vasa & nervos destruat, quin & ipsam horum basin, solida loquor ossa, audaciter adgrediat, quo fit, ut tota quanta fere membra partibus mollibus interdum nudata horridaque necrosi defœdata acerbissimum mortis appropinquantis præbeant (spectaculum o), non est mirandum, nervoso in primis systemate utpote nobilissimo, ob aërem præsertim nosocomialem illi infestissimum, insigniter adeo labefactato, vehementiorem ocus seriusve crescere febrem hecticam, languida miseris trahentibus membra turgoreque evanescente vitali, facie notatam Hippocratica, cui stupor, horrores vagi & irregulares, quibus copiosissimi succedunt sudores colligativi, pulsus debilis, vermicularis, intermittens & fere deficiens, lipothymia, delirium taciturnum c. c. fidos semet adjungunt comites. Cum advesperascit, omnia hæcce, febre simul exacerbante, invalescunt symptomata. Nec certo temporis spatio sunt adscripta, cum, ut ipsius rei postulat ratio, partes, quas funestum invadit malum, organismo sint magis minusve necessariae, eademque haud semper eodem gradu læsæ; nec eadem corporis constitutio causæve occasionales haud minus quam accessorie, e quibus felix aut infelix illius pendet exitus, locum obtineant. — Ad sphacelum & mortem ita tendit gangræna. Si vero sæva hujus inimici tela benignis almæ naturæ non prævaluerint moliminibus, divinæque licuerit arti beneficam suam vim exserere & effectum, ad salutem, decrescente symptomatum violentia, citius tardiusve reducitur æger. Emortuæ partes in ulcere a vivis sensim jam separantur, renascuntur novæ, teterrimi ichoris loco melius meliusque producit pus, reviviscit color loci naturalis nimiaque ipsius decrescit sensibilitas. In hoc autem salutari morbi decremento profus admirabilem & singularem cutis in ulceris peripheria deprehendes immutationem. Asurgens enim hæc aliquantulum producit

B

la-



labiis in exteriora mirum in modum contortis, ut cavitas recenti commodius repleatur carne, quo facto intro revertitur absolutam quoad fieri potest cicatricem consummatura p). Partem vero adfectam inter & totum organismum intima cum sit sympathia, hectica quoque febris ceteraque graviora in dies imminuuntur symptomata, muniturque sic ad salutem via.

## §. II.

Causæ hujus mali *prædisponentes* afferri possunt variæ. Scilicet omnes cachexiæ species, quibus emaciatum frædatumque corpus tabo gangrænosolo facile corripitur, huc referre haud dubitaverim. *Occasionales* sunt omnia incitamenta, quibus vis partis adfectæ ita infringitur, ut suas, in vi naturæ medicatrice sublevanda, peragere non possit functiones, sed recta, nisi salutaris ei succurrerit ars, ad mortem tendat via, quales sunt quævis in primis gravior vis externa, crisis, metastasis q), præsertim vero insalubris qui in Nosocomiis plerumque regnat aër. Quibus enim hoc malum præcipue oritur mensibus, humida est & adeo variabilis illius constitutio, ut Protei instar, opinione semper mutatur celerius r). Probe vero observandum, situm Nosocomiorum internamque rationem, ordinem & disciplinam in hac re permagnas agere partes. Grate quidem quisque agnoscat, hujus temporis Nosocomia jam sere ubique instituta esse supra quam dici potest liberalia s): ingenue vero est fatendum, permagnis illa adhuc laborare

p) Vid. WENZEL l. c. p. 155 & seqq.

q) "Rari sunt morbi longiores præsertim, ad quos non alius aliquid se adjungat, aut plura variaque non accedant symptomata" MORGAGNI *de sedibus & causis morborum*, Præfat. p. X.

r) Cfr. WENZEL l. c. p. 147 & seq.

s) Vid. JOH. HUMCZOYSKY *Medicinisck- Chirurgische Beobachtungen*



rare vitis, quæ nostræ mirum quantum favent gangræne. Huc pertinent solum humile & humidum, uligine sudans continuisque vaporibus plenum, cubicula ægrotorum nimis contigua, exigua & perangusta, permagnoque horum, externa præcipue labe laborantium, numero adeo referta, ut liber ipsis & sufficiens procurari non possit aëris aditus: Medicorum ceterorumque sollicitiori ac diligentiori ægrotorum curationi præfactorum hominum numerus justo magis exiguus: mundities pro immensa morborum hoc tempore grassantium farragine minus culta, atque in primis in quotidiana malo adhibenda curatione neglecta c. c., quibus rebus efficitur, ut pluribus nominibus ægrotorum claudicet cura t). Non igitur mirandum, sic stantibus rebus non posse non fieri, ut malum, palustri in primis effluvio corpus gravante vaporibusque puri illius & salubris, qui circa ægrotantes necesse est semper conservetur, aëris atmosphærici ope non submotis mephiticis, blanditiis hujus fomitis delinitum & corruptum in dies latius serpat. *Proximam* vero constituit nimia in loco adfecto, in primis ob miasma quoddam aëri immixtum, cujus naturam & indolem æque ignoramus, ac illius quod typhum &c. excitat, virium vitalium perturbatio & penuria adeoque summa ad mortem proclivitas u).

B 2

§. III.

*auf seinen Reisen durch England u. Frankreich, besonders über die Spitäler, Wien 1783: quibuscum plurima recentiora hanc rem attingentia consentiunt scripta.*

t) Cfr. WENZEL l. c. p. 148 & seqq.

u) Cfr. WENZEL l. c. p. 174 ubi verba: "Alle Zufälle die man bey dem Kranken beobachtet, sind ohne Ausnahme Zufälle eines Nervenfiebers, von dem der verderbene, faulichte, brandige Zustand des äußern Uebels nur eine Folge ist."

## §. III.

Prægressis, quorum in §. I. facta est mentio, symptomatibus, Gangræne nostræ haud difficilis *Diagnos*. Cum autem numeroſo ulcerum agmini, diverſas ipſorum ſi reſpexeris ſpecies, læ certæ plerumque ſint & definitæ notæ characteriſticæ, etiam plura eique propria non poſſunt non illis accedere ſigna diagnoftica. Intolerabilibus maceratur pars adfecta doloribus, ut in quocumque alio ulcere, a caneroſis quibusdam ſi forſitan diſceſſeris, maximos adeo toto corpore vix inventurus ſis cruciatus v). Mirandum in modum anguloſa ſibi que non conſtante ulcera noſtra eminent forma, ſtupenda ſimul, utpote non niſi aliquot dierum intervallo in immenſam, incredibile auditu! creſcentia, magnitudine conſpicua. Probe vero heic quoque obſervandum, valde diverſam diverſos in homines contagium noſtrum exſerere vim. Sic in ſanioribus præcipue exteriores, ut cutem in margine & telam cellulofam, invadit partes, quo fit, ut granulatio ceſſet & abſorbeat; in cachecticis vero muſculos quoque, tendines & oſa adgreditur. Monuiſſe autem juvat, mortificationem granulationis in illis mirandum in modum procedere, adeo ut ab altero, plerumque inferiori mali externi angulo incipiat, unde ſurſum tendens magis magisque increſcit, donec ipſius progreſſio idoneis impedita fuerit remediis. Inſigni quoque haud declivi ſed ad perpendicularum proſus deſcendente plerumque gaudent altitudine, quam qui vel minus attento contemplatur animo, facili obſervat negotio x). Augeſcentibus vehementia ſymptomatibus magisque conſpicua, ubi ſalutaris arterioſi nervoſique ſyſtematis ceſſaverit conſlictus totuſque organiſmus pernicioſa corruptorum humorum copia jam imbutus, accedente febre heſtica, facie inſignita vere Hippocratica, ſummam in ul-

v) Cfr. WENZEL I. c. p. 153.

x) Vid. WENZEL I. c. p. 151 & ſeq.

ulcere ejusque in primis fundo, ubi omnes fere partes solidæ consummatam jam passæ metamorphosin teterrimumque spirantes odorem, in homogeneam fere pulmento haud dissimilem mutatæ sunt materiem, mollitiem invenies atque inertiam y). Quæ quidem omnia ceteraque his cognata qui animadvertit ligna, simulque animo reputaverit, multarum malo nostro latentium adesse rerum concursum, nullus ei amplius superesse potest dubitandi locus, quin insidiosus hic & cruentus hostis omni armorum apparatu persequendus violentam miseris ægrotantibus moliatur mortem,

#### §. IV.

*Prognosis*, ut in omnibus gravioribus malis externis non minus quam gangræna in universum, non ex horum habitu solum & indole diversa, sed potius ex interno ægrotantis statu, viribus plus minusve fractis & debilitatis specialique corporis constitutione, in primis vero febris, qua comitantur, violentia, est petenda z). Sæpe enim accidit, ut homines Nosocomium petant, integra, externo malo excepto, gaudentes valetudine; sæpissime vero homines ætate jam provecti, variis casibus acti morbisque internis prægressis consumti, huicce succumbunt malo: quid? quod nefanda morborum tam acutorum quam chronicorum cohors miseros locali ista labe laborantes haud raro fideliter comitatur. Unde fit perspicuum, plane diversam esse prognosin, eadem licet malo, nulla specialis subiecti constitutionis c. c. habita ratione, grassanti adsint symptomata aa). Faulta igitur est prognosis, si malum locale minoris est spatii atque organum minus nobile occupat, adeo ut

cor-

y) Vid. WENZEL l. & p. nuper c.

z) Cfr. WENZEL l. c. p. 166 & seqq.

aa) Vid. WENZEL l. c, p. 146 & seq.



corpus, in sphacelum quamvis illud abiret, hoc absque vitæ dispendio carere posset: nec minus prospera, si homo vicens juvenilibus annis roburque spirans eodem adficitur, ut vires ad felicem exitum præparandum sufficiant. Magnam quoque indoles & vehementia causæ nocentis in prognosi determinanda habet vim. Sic extra omnem dubitationis aleam positum esse existimamus, quod ipsius etiam rei requirit ratio summorumque Medicorum auctoritate reperimus confirmatum, gangrænam nostram a causa leviori eademque externa ortam, parciore comitatam ichoris resorptione adeoque minus vehementi febre insignitam, illam admittere lætiores. Ominosa vero est, si corpus ægrotantis exile & infirmum gravibusque & diuturnis morbis confutum malo gangrænosolo corripitur: præsertim si ex hoc morbo evadens atque ad salutem fere reductus in eundem recidit; in hac enim asthenia sive nervosa constitutione interna mali cum addit causa, quæ graviora & vehementiora excitat symptomata, non est mirandum, systematis nervosi vascularisque vi insigniter adeo infracta, organorumque fecernentium actione valde imminuta, totum organismum majori ichoris copia imbutum vehementissima intabescere febre hectica. Facili igitur quis est qui non perspiciat negotio, ægrum viribus ad crisin morbi salutarem necessariis penitus destitutum sphacelo absumi atque in gravissimis laudatorum systematum affectibus, ut convulsionibus multimodis, flocculorum venatu variisque hæmorrhagiis c. c. morte læpissime decedere funestissima?

#### §. V.

Dicendum mihi adhuc est de morbi nostri cura. Plurimum autem cum interlit Medensis, non solum curam morbi sed etiam *prophylaxin* noviste, antequam illam pertracto, pauca etiam de hac mihi videntur dicenda. Nosocomium igitur quod attinet gangræne nostræ domicilium, edito loco, ut jam ex antecedentibus apparet, sit exstructum & pulchro  
 eodem-



eodemque latissimo in campos & arva vicina gaudeat prospectu, quo sic quidem ægotantes non modo salutifera abunde vescantur aura, verum etiam læto & amœno ipsius ridentis naturæ tristes & abjectos animos pascant (spectaculo *bb*). Ampla ipsorum sint cubicula, minori potius quam frequentiori ægotorum numero repleta, ventis valde pervia atque munditie nunquam satis commendanda conspicua *cc*). Medicorum ægotorumque curatorum sufficiens sit numerus. Viæ medicamentorumque ut aliis in morbis ita etiam heic, ubi gangrænæ nostræ nascitur suspicio, eximia semper sit bonitas & copia ac pro re nata aptus & conveniens usus *dd*). Mali quoque externi tractatio localis prudentissime & ad indicationes quasvis accommodatissime instituat, ne vitales partis affectæ vires præpostera curandi methodo, solventibus v. c. unguentis *ee*) iusto magis & perverse adhibitis, potius debilitentur

*bb*) Cfr. WENZEL I. c. p. 150.

*cc*) Non possum mihi temperare, quominus heic seqq. Cel. ANDR. DUNCAN afferam verba: "Hey der Anlage eines Hospitals muss man vorzüglich auf Reinlichkeit u. auf die Möglichkeit, allenthalben frische Luft zu verschaffen, sehen. Das Gebäude muss daher allein u. im Freyen liegen. Oekonomie u. Sparung des Raums darf dabey nicht statt finden. Es kommt nicht darauf an, ob viele darinnen aufgenommen, sondern ob viele geheilt daraus entlassen werden." Vid. RICHTERS *Chirurgische Bibliothek* Vol. XI p. 164 Cfr. DUSSAUSOY I. c. p. 193 & seq. WENZEL I. c. p. 188 & seqq. nec non Cel. BRÜNNINGHAUSEN I. c. & LANGENBECK *Bibliothek für die Chirurgie* III B. I. St. p. 4. Ut enim testante SENECA (Epist. I.) turpissima est iactura, quæ per negligentiam venit, ita etiam in id semper incumbat Medicus, ne Nosocomium commune vivorum fiat sepulcrum. Quam salutarem ad malum nostrum fugandum ær atmosphæricus afferat vim laudatus. DUSSAUSOY de cetero summo cum fructu institutis comprobatur experimentis. Vid. I. c. p. 203 & seq.

*dd*) Cfr. WENZEL I. c. p. 150 & seq.

*ee*) Vid. DUSSAUSOY I. c. p. 193 & seq.

tur vel prorsus suffiaminentur, quam in iusto conserventur vigore. Si vero nulla illiusmodi curæ prophylacticæ habita ratione gangræna nostra erumpit, præcipua in hoc Medentis versetur cura, ut vires & molimina naturæ diligentius examinando illas pro re nata dirigat, quo sic quidem turbulente & seditiose agentes idoneis compescantur remediis, debilitatæ vero & penitus fere consumptæ roborantibus firmentur & restituantur; hæc autem provide sustentando ad crisin salutarem promoveat ff). Ut vero therapia prospere succedat, aliud cubiculum, ubi nemo externa labe adfectus curatur, si hoc fieri opus est, mox petat æger, cum malum miasmate gangrænosio correptum consortio illius cum aliis eodem morbo laborantibus incredibiliter increlcere, separatim vero & prudenter tractatum opinione celerius sanari, summorum Medicorum loquatur experientia gg). Venas secare, quæ hyperthæniæ prodant licet adint symptomata, fere semper provide evitet Medicus hh), probe memor, phlebotomia intempestive adhibita nihil esse periculosius, atque etiam heic, ut in aliis morbis vehementiori febre conspicuis, pulsus ceteraque eandem indicantia symptomata maxime esse fallacia. Præcipuam febris, quæ malum nostrum comitatur, utpote certissimum totius organismi conditionis indicium, meretur attentionem. Interne igitur quæ in febre quacumque systema nervosum præcipue adgrediente porriguntur remedia ii), qualia sunt emetica, eccoprotica tempestive propinata, diaphoretica, acida, antispasmodica,

---

ff) Cfr. WENZEL l. c. p. 169 & seq.

gg) Vid. DUSSAUSSOY l. c. p. 195. Cfr. CP. L. HOFFMANN v. d. *Nothwendigkeit, e. jeden Kranken in e. Hospital sein eigenes Zimmer u. Bette zu geben.* Mainz, 1788. 8. & WENZEL l. c. p. 189.

hh) Vid. DUSSAUSSOY l. & p. nuper c. & WENZEL l. c. p. 175.

ii) Vid. *Grundriß der Pathologie und Therapie* von D. CONRADT 2ter Th. Marburg 1813 8:o p. 63 Anmerk. I.

inmodica, anodyna & roborantia ut suaserint res cum fructu adhibentur. Crem. Tart. *℞ij - jv* quotidie porrectas cum Cel. DUSSAUSSEY laudamus, cessantes illum evacuantium heic optime fungi partibus *kk*). Increfcente vero debilitate, adeo ut petechiæ etiam appareant, Acidis Mineralibus, Acid. phosph. Cortice Kink. *ll*), Valeriana, Camphora *mm*), generoso quodam vino & Opio *nn*) c. c., nisi luculenta adsint symptomata contraindicantia, copiose & assidue est utendum. Nec silentio est prætereundum, diætam indicationibus curatorii probe esse accommodandam. Sic ipsius rei requirit ratio, ut liberum aere transitum, quo iusta oxygenii semper conservetur quantitas, procuremus, & cibum multum alimenti præstantem diluentemque potum plerumque præbeamus *oo*). Localem quoque

C

ma-

*kk*) Cfr. DUSSAUSSEY l. c. p. 199.

*ll*) Vid. WENZEL l. c. p. 176. Interdum tamen, quamvis raro, præstantissimum hocce remedium valde est nocivum. Cfr. C. P. FORSBERG *Disf. Pharmacol. de Cinchona* Præf. Cel. THUNBERG P. II. Upsaliæ 1816 edit. p. 10 ubi præter alia nobiscum conspirantia hæc occurrunt verba: "In *Gangræna & Sphacelo* quam potentissimum est hoc remedium (Cort. Kink.) indicatum, ubi valde sunt vires diminutæ, & misla humorum absorptione Ichoris magnam subit dyscrasiam, partesque, locum gangrænosum adjacentes, pallidæ & laxæ; si vero accesserint symptomata inflammatoris & fortis sit ægri constitutio, nocet." Illud vero specialem hanc ob causam cum DUSSAUSSEY (Vid. l. & p. nuper c.) prorsus rejicere, est absurdissimum.

*mm*) Antisepticorum remediorum in numerum & stimulantium externe adhibendorum Camphoram etiam referendam esse, atque ceteris quæ & Cort. Kink. palmam præcipere, statuunt WENZEL variisque experimentis magnum ipsius comprobant pretium. Cfr. l. c. p. 181 & seq.

*nn*) Hoc tamen quod attinet medicamen, in dosi refracta propinandum esse merito censemus. Cfr. WENZEL l. c. p. 177 & seqq.

*oo*) Cfr. HILDANUS l. c. cap. 12 p. 785 & cap. 22 p. 822, ubi ver-



mali externi tractationem secundum methodum in laudato Cel. DUSSAUSOY libello præscriptam, utpote diuturna Medentium auctoritate comprobata adeoque huc usque præstantissimam omnino esse instituendam, non possumus non summo jure contendere. Pulvere igitur Cort. Kink. semel, aut si postulat necessitas, bis quotidie caute conspergatur pars adfecta, Ol. Terebinthinæ simul affundendo, quo sic quidem massa cæmenti mentiens formam e pluribus horum remediorum stratis formetur, quæ totam illius cavitatem probe impleat quin & eandem aliquantulum supercandat ejusque margines ad aliquot linearum latitudinem accurate contegat pp). Si verò pertinaciter hæret malum adeo ut putredo musculos & ossa etiam adgrediatur, & nervosi in primis systematis ingravescunt symptomata, cauterio quoque actuali ad acerbissimos dolores mitigandos & curam faciliorem reddendam, ut bene monet DUSSAUSOY qq), utendum: quo facto ad laudatum cæmentum rursus

---

ba: "Major error, ut testatur Hippocrates (Lib. I. Aphor. 5.), in tenui victu intempestive adhibito fit, & gravius vires læduntur, quam in paulo pleniore victu, præsertim ubi vires prostratæ fuerint." &c.

pp) Vid. DUSSAUSOY l. c. p. 195 & seqq. Cort. Kink. Camphora, Nitro c. c. mixtum heic quoque cum fructu adhiberi posse putamus. Cfr. Specimen Academicum de necessitate justæ medicamentorum compositionis Celebrissimi J. F. WALLENII, Aboæ 1786 edit. p. 13 ubi multorum Scriptorum de hac re citantur opera.

qq) l. c. p. 197. Candens scilicet ferrum, repetitis, si opus fuerit vicibus adhibendum heic commendamus, olei fervidi usum merito reprobantes. Cfr. Hippocrat. Aphorism. Sect. VIII §. 6. "Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet." & HILDANUS l. c. cap. 13 p. 791 ubi AVICENNÆ lib. 1, fen. 4. cap. 29 p. 156 afferuntur verba: "Cauterizatio est medicamen valde utile, juvans ad prohibendum, ne corruptio spargatur & ad confortandum membrum, cujus complexio est frigida, & ad restringendum sanguinis fluxum."



fus fugiendum. Restat autem, ut quæ a prudentia manibus  
 que Medentis poscantur officia paucis quoque complectar. Pro-  
 vide igitur in ulceribus ab ichore c. c. purgandis versetur Me-  
 dicus: nec minus caute in partibus jam emortuis exsecandis  
 procedat, aliquid naturæ interdum relinquens. Liberalissima  
 quoque & beneficentissima inter morbi decrementum natura  
 diligentissime observet molimina, ne ex prudenti minitro gra-  
 vis ipsius fiat adversarius. Sic ex. gr. causticorum caveat ad-  
 mittere usum ipsa in cicatrice formanda occupata natura *rr*).  
 Probe simul sit memor, tendines in ulcere gangrænofo nuda-  
 tos, naturali diu quamvis gaudeant forma, non tamen minus  
 quam ceteras partium mollium & solidarum fibras, lacinias &  
 frustula jamjam descædata adeoque removenda, esse extirpan-  
 dos, ut gravissimum in mora cytetur periculum *ss*). Crude-  
 lissimum autem cum hæc operatio commoveat dolorem, haud  
 in ulceris centro, illius præcipuo domicilio, sed ad periphe-  
 riam has partes provide abscindat. De cetero in gravioribus  
 ulceribus amputationem forsitan postulantibus cultrum sapienter  
 cohibeat *tt*), optime noscens, operationes etiam minoris mo-  
 menti, ut setaceorum applicationem, hoc malo dominante pera-  
 gere, interdum a periculo non esse alienum. Ubi ulcus gan-  
 grænosam tandem exuerit naturam, ut alia ulcera huic malo  
 haud obnoxia ad consummatam usque sanationem, ut Chirur-  
 gia docet, tractatur. Animum vero inter & corpus summus  
 cum sit & intimus consensus & harmonia, adeo ut quicquid  
 huic noceat illum quoque frangat, medica postulat prudentia,  
 ut

---

*rr*) Cfr. WENZEL l. c. p. 155 & seqq. jam in not. p) cit.

*ss*) Juvat h. l. adhuc monuisse, tendines, ubi magna jam ulceris  
 pars nascentibus repleta est papillis carneis, insigniori tandem im-  
 butos albedine partes inter molles postremo emori. Cfr. WENZEL  
 l. c. p. 154 & seq.

*tt*) Cfr. WENZEL l. c. p. 145 in not.

ut deprimentes illius affectus moderando vacillantemque spem suffulciendo, per totum morbi decursum, in primis autem cum adducta est res in maximum periculum & extremum pæne discrimen, consolationem egrotanti sapienter adhibeat. Reconvallescentiæ tempore non minus Medico quam agro nòrbum jam superanti in omnibus circumspicere esse agendam, res ipsa loquitur.

### *Casus.*

Adolescens XVIII annorum bona de cetero ac firma gaudens valetudine, Blepharoptosi autem oculi dextri e loca-  
li Musculi Levatoris palpebræ paralyti, vulneris ope cicatrice jam obducti orta, laborans die 22 Oct. 1816 in Nosocomium Provinciale Aboënte est receptus. Die 16 Nov. cicatrix operatione instituta excisa est, labisque vulneris futura cruenta conjuncta. Sanatio, puncto in medio loci adfecti ob supercilia intro versa excepto, subsecuta. D. 30, nulla sufficiente causa apparente, in cicatrice sensit dolorem. D. 1 Dec. hæc in exulcerationem abiit, diebus 2-4 magis magisque adactam, dextra facie simul intumescente, glandulis lymphaticis colli indurescentibus, gravique febre accedente. Hinc facile erat perspicu, hunc quoque adolescentem gangræna nostra, quamuli jam aliis in cubiculis jacuere afflicti, fuisse correptum. D. 4 & 5 laudatum e Pulv. Cort. Kink. c. Ol. Tereb. adhibitum est cæmentum, atque interne Crem. Tart. datus. D 5 vomitus inanes, lipothymia, languor, pervigilium, anorexia, sitis parca, pulsus debilis, celer & inæqualis, illis accessere symptomatibus. D. 6 Acerbissimum in parte adfecta, tumore simul aducto frequentioribusque animi deliquiis supervenientibus, percepit dolorem. Cataplasma emolliens in usum vocatum,

tum. D. 7 Deterior loci conditio mortificatione magis conspicua significata, unde ad cramentum illud denuo refugium. D. 8 Colores leviores, & in superiori illius angulo mortificationis aliquantulum adhuc conspiciendum. D. 9 & 10 Conditio ægroti fere eadem. D. 11 Decrementum morbi. Labia ulcers magis laxa, depressa, intro versa, bonæ granulationis initium, tumorque dextræ faciei imminutus; eadem vero febris symptomata, angore, summa virium prostratione cordisque palpitatione adhuc supervenientibus. Bene deinde granulatio loci, linteo solum carpto sine ullo additamento muniti, ad d. usque 17 processit, ubi pus bonum in humorem colore dilutioni distinctum tenacioremque est mutatum, & superficies ulcers lævior facta atque nitidior. Terebinthina huic admota. Languorem & cephalalgiam adhuc questus est æger, pulsu celeri & bilique permanente; cibi autem appetitus jam increvit, & decrescente symptomatum vehementia sensim, tarde quamvis, convaleuit. Summa enim miasmatis gangrænosæ violentia, qua vires ejus majorem in modum debilitatæ fuerant & consumptæ, id est effectum, ut die demum 20 Jan. 1817 Nolocomum sanus relinqueret.

Abolvimus sic, quoad per exiguitatem temporis viriumque tenuitatem licuit, gravissimam, quam nobis sumimus tractandam, materiem, olim forsitan, si fata ita tulerint, eandem exercitatori filo subtiliorique artis peritia pertractando, amplius illustraturi.

---



